

partem problematicè disputari, absque ullo fidei A
bonorumve morum præjudicio.

Quantum ad primum & secundum, docet quidem B. Thomas non posse esse plures intelligentias ejusdem speciei; & individua quæ nullum ordinem sive habitudinem dicunt ad materiam vel ad corpus, non posse multiplicari secundum numerum in una specie. Verùm, quod non loquatur de omni modo impossibilitate, quæ fundatur in repugnantia & contradictione, sed de impossibilitate secundum potentiam ordinariam, & secundum ordinem rebus prout nunc sunt connaturalem, tradunt commentatores, Banetius, Cumel, & Ripa, confirmari que potest ex opusculo 16. ubi sic habet: *Valde ruderè a gumentantur ad ostendendum quod Deus facere non possit quod sint multi intellectus ejusdem speciei, credentes hoc includere contraditionem: dato enim quod non esset de natura intellectus quod multiplicaretur, non propter hoc oportet quod in eorum celum multiplicari includeret contraditionem &c.* Sic ergo intellectus si naturaliter esset unus omnium, quia non haberet naturalem causam multiplicationis, posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa, nec esset implicatio contraditionis. Quod non tantum dicimus propter propositum, sed magis ne hac argumentandi formâ alia extendatur. Ex quibus factis evidens est B. Thomam habere pro absurdo, quod sit impossibile vel contraditionem implicat, multiplicari individua quæ nec materiam nec naturalem habent causam suæ multiplicationis; & propterea, quando ipse docuit hoc esse impossibile, non de tali impossibilitate locutus est, sed solum de impossibilitate secundum potentiam ordinariam. Sic autem intellecta ejus doctrina neque fidei neque bonis moribus adversatur, sed (ut summum) dubia est & problematica, neque ulla ratione condemnabilis.

Dignum autem est observatum quod Durandus est doctrinæ B. Thomæ acerrimus habeatur impugnator, ubi tamen de verbo ad verbum recenset istos duos, de quibus agimus, articulos, nullam faciat B. Thomæ mentionem, quasi contra illum fuerint condemnati: dicit enim sic haberi, quod quia intelligentia non habent materiam, Deus non posset plures ejusdem speciei facere, supple error est. Idem habetur articulo 96. ubi sic dicitur, quod Deus non potest multiplicare individua sub una specie sine materia, error est. Hisque contentiunt Richardus & Henricus, etiam omittentes id quod in articulis apud Magistrum legitur (*Et quod materia non est angelus, contra fratrem Thomam.*)

Quod ad tertium articulum attinet, ille sic refertur ab Henrico quodlibeto 2. q. 9. quod substantia separata nusquam sint secundum substantiam, error est, si intelligatur ita quod substantia non sit in loco: si autem ita quod substantia sit ratio essendi in loco, verum est quod nusquam sint secundum substantiam: & hoc ideo, quia substantia ipsa non est ratio essendi substantiam angeli in loco, etsi sit in loco. In hoc enim concordabant omnes Magistri Theologia congregati super hoc, quorum ego eram unus, unanimiter concedentes quod substantia angeli non est ratio angelum esse in loco secundum substantiam. Atqui B. Thomas nusquam docuit substantiam angeli non esse in loco, sed solum quod ejus substantia non sit ipsi ratio seu causa existendi in loco: ut patet ex 1. p. q. 52. quodl. 1. ar. 4. in 1. d. 37. q. 3. de pot. ar. 19. ergo ille artic. prout est condemnatus, non afficit ejus doctrinam; imo ejus doctrinam (quoad

rem præsentem) eadem est que erat magistrorum Parisiis congregatorum. Atque ex jam allatis Henrici verbis, quibus & consentit Durandus, facile est videre neque Apologiam, neque collectionem articuloꝝ Parisienium referre omnia verba ad articulum istum spectantia: Apologista enim non plus dicit, quam, quod substantia separata nusquam sint per substantiam, error: Collector autem adjungit, si intelligatur, ita quod substantia sit res essendi in loco, verum est quod nusquam sint secundum substantiam: & ubi apologista dicit, per substantiam, ipse (sicut Henricus & Durandus) habet, secundum substantiam.

Quartus articulus, quod substantia separata sint alicubi per operationem &c. non errorem, sed doctrinam continet problematicam, prout videri potest in Henrico, Richardo, Cajetano, Banetio, Cumele, Ripa, Valentia, Suarez, Vasquez. Cum enim certum sit (etiam in doctrina B. Thomæ) angelos angelorumque substantiam esse in loco; in certum tamen est, per quid ipsa in loco sit, seu que sit proxima ratio eorum essendi in loco: neque ulla exat vel Cõcilij alicujus Occumenici, vel Romani Pontificis definitio sive declaratio decernens quid in hac re sit necessariò dicendum. B. Thomas non ut certum, sed ut probabile docet operationem generaliter acceptam, esse angelo illam rationem. Ita habet quodlibeto 1. articulo 4. *Sicut corpus est in loco per contactum dimensionis quantitatis, ita angelus est in loco per contactum virtutis: si quis autem velis virtutis contactum operationem vocare, propter hoc quod operari est proprius effectus virtutis, dicatur quod angelus est in loco per operationem, ita tamen quod per operationem non intelligatur sola motio, sed quæcumque unio qua sua virtute se corpori uniti præsidendo, vel continentido, vel quocumque alio modo. Quibus conforme est quod 1. p. q. 52. articulo 1. dicit, per applicationem virtutis angelicæ ad aliquem locum qualitercumque, dicitur angelus esse in loco corpore. Ubi notandum est illud (qualitercumque) & videndus Estius in 2. dist. 2. s. 7. ubi hanc Doctoris sancti sententiam tantum abest ut rejiciat vel condemnatam, quin potius tanquam probabilior ac verior amplectitur, sicut & non pauci commentatores Catholici.*

Quintus articulus, si ratio recta, & voluntas recta, nusquam invenitur ita generaliter & universaliter à B. Thoma assertus vel traditus; quinimò quæst. 24. de veritate articulo. 2. 1. 2. q. 77. art. 2. & 2. 2. quæst. 20. articulo 2. disertissime docet posse esse scientiam in universali, ac etiam in habitu, atque aded judicium rationis rectum, ubi tamen voluntas non sequitur rationem, ideoque non est recta, sed vitiosa. In 1. secundæ ita habet, *Contingit quod aliquis habeat scientiam in universali, puta nullam fornicationem esse faciendam, sed tamen non cognoscat in particulari hanc actum qui est fornicatio non esse faciendam: Et hoc sufficit ad hoc quod voluntas non sequatur universalem scientiam rationis. Et iterum considerandum est, quod mihi prohibet aliquid fieri in habitu, quod tamen, actu non consideratur. Potest igitur contingere quod aliquis etiam velle scientiam habeat in singulari, Et non solum in universali, sed tamen actu non consideret, Et tunc non videtur difficile quod præter id quod actu non considerat, homo agat. Similia habet tunc in responsionibus ad argumenta, tunc alijs in locis. Nihilominus non inficiamur B. Thomam docere quod voluntas semper sequatur judicium rationis particulare*